





Occasionalia VI-181  
potissimum carmina  
vol. ~~Fase~~ 21. ~~181~~

Centur. ~~1~~ quinque.

VI-181

Ung. VI 181











ASPECTUM  
AMICISSIMUM  
PHOEBI NOSTRI,

(Salv. Tit:)

DN. JOHANNIS  
JACOBI<sup>AB</sup> HARTIG,

Hæreditarii in *Alt-Görnik*  
CONSULIS h. t. REGENTIS, & SCHOLARCHÆ  
Primarii,

nec non

VIRGINIS

Stellæ instar splendidissimæ lucentis,  
sive spectemus Generis splendorem,  
sive Pietatis, aliarumq; Virtutum ornamenta,

MARGARETHÆ  
DOROTHEÆ,

NATÆ BUTSCHKÆ,

cum

SOLENNITATEM NUPTIALEM

Zittaviæ ad d. 26. Octobr. 1688.

feliciter celebrarent,

observabat

& læto excipiebat calamo

M. ADAM Erdmann MIRUS,

CON-R.



ZITTAVIÆ, Typis Michaelis Hartmanni.



**A**Ttollite Oculos,  
quicumq; humiles  
ex humili hoc solo  
augustissima coeli templa  
contemplamini.

Nova Stella apparuit,  
Nunquam olim supra nostrum Horizontem visa.

Non obscura & nebulosa;  
Sed inter omnes Stellas lucidissima.

Nec dira atq; infausta;  
Sed exoptatae felicitatis nuncia.

Stellam dixissem fixam,  
Nisi locum mutasset pristinum,  
ut apud nos fieret visibilis.

Dixissem Stellam erraticam,  
Nisi supra nostrum Horizontem sedem retinere  
fixam vellet,

quò perpetuo fulgeret splendore.

Qualis ergo?

Nempè

**MARGARETHA DOROTHEA,**

**NATA BUTSCHKIA,**

Quæ lucidissimæ Stellæ faciem refert,  
sive spectemus Generis splendorem,

sive pectoris candorem,

sive pulchritudinis lampada,

sive castitatis ac pudicitiae nitorem.

Hactenus purpureo suo jubare Dresdæ mœnia  
impleverat;

Nunc cursu pleno progressa

ad charam usq; Zittaviam est,

ut aureum lumen diffunderet,

& plenius splenderet,

si cum lumine nativo & proprio

Lu.



Lumen con jungeret mutuatum,  
communicatum scilicet  
à PHOEBO nostro Splendidissimo,  
**JOHANNÉ JACOBO AB HARTIG,**  
quem ob divina in Rempubliam merita  
Nobilis observat Senatus,  
Tota miratur Civitas,  
Nostra veneratur Thalia.  
Solent alias stellæ lumine augeri,  
cum à sole discedunt;  
Solent contrà minui lumine,  
si propiùs ad Solem accedunt:  
Ast hæc Stella extraordinario prorsus modo  
eò splendidiùs lumen accipit,  
quò magis ad Phœbum accedit;  
Sed eò minus à nobis observata est,  
quò majorem ab Eo habuit distantiam.  
Quare,  
magis magisq; Soli fit propior,  
ut Tota lumine E jus clarissimo repleatur.  
Gestit recipere radios amoris,  
ut reciproci amoris flamma pulchriùs niteat.  
Gestit recipere radios affabilitatis,  
ut casta morum amabilitas feliciùs detegatur.  
Gestit recipere radios Urbanitatis,  
ut ludendo & jocando recreare se possit,  
simulq; tectis divulgare vocibus,  
quod dulce desiderium in fido resideat pectore.  
Ecquis non admiretur constantissimum  
hujus Stellæ pulcherrimæ motum?  
E Phœbi serenissimi centro suum descripsit Epicyclū,  
ne habeat idem cum mundo centrum,  
sed cursu perpetuo ambiat Phœbum,  
Hinc Eam & Phosphorum & Hesperum dicere  
licebit; Pho-



Phosphorus dici potest, quia faustissima nunc  
 sequentis Phœbi est,  
 qui radiis suis universam Civitatem refovet.  
 Hesperus est, dum Antecedentis radios excipit,  
 & in expectantes cupidè derivat.  
 O largiatur benignissimus Stellarum Conditor,  
 ut successu temporis læto  
 observentur  
 plures Stellæ minores,  
 quæ Circumjovialium instar,  
 alteram hanc Venerem cingant,  
 & nutum Ejus expectent,  
 simulq; eò lucidius cum Genetrice fidus constituent,  
 Quo clariores radii sunt,  
 qui à summo Phœbo dantur,  
 ab illo verò fidere excipiuntur.  
 Nos interim  
 his Stellis serenissimis intenti,  
 vultu irretorto,  
 devotâ mente,  
 obsequio pio  
 optamus,  
 ut Earum radii nunquam Eclipsin patiantur,  
 nunquam nostro subtrahantur Horizonti;  
 sed cursu assiduo  
 & aspectu benignissimo  
 inclytam recreent Zittaviam.  
 Sic  
 vel in meris calamitatum tenebris  
 serenissimum nos lumen circumdabit:  
 Sic exultandi & triumphandi materiam inveniemus,  
 quoties aureos Phœbi nostri radios intueri licebit.





Ung. II 181

Kopf

V017







ASPECTUM  
AMICISSIMUM  
PHOEBI NOSTRI,

(Salv. Tit.)

IANNIS  
HARTIG,

Alt-Dornik/  
TIS, & SCHOLARCHÆ

arii,  
non  
INIS

idiffimæ lucentis,  
neris splendorem,  
Virtutum ornamenta,

RETHÆ

THEÆ,  
SCHKIÆ,

M NUPTIALEM

6. Octobr. 1688.

ebrarent,  
bat  
bat calamo

mann MIRUS,  
R.



ZITTAVIÆ, Typis Michaelis Hartmanni.

